

Christian Johann Daniel Wiedow

De Delirio Tremente : Dissertatio Inauguralis Medica


Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXX.


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1009194968>


Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1830

Wiedow, Chr. Joann. Dan.







DE
DELIRIO TREMENTE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONFERANTUR

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBMITTIT

AUCTOR

CHR. JOANN. DAN. WIEDOW

SUERINENSIS.

ROSTOCHII

TYPIS ADLERIANIS.

MDCCCXXX.

DE
DIARIO TRIEMESTRE

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

1844

COMPOSITA ET SCRIPTA

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS LITVANA ROSTRORUM

IN MEDICINA



MDCCCXLIV

1844

1844

1844

V I R O

**ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO
EXPERIENTISSIMO**

JO. GUILIELMO JOSEPHI

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, RERUM
MEDICINALIUM IN MILITIA MECKLENBURGICO-
SUERINENSI SUPREMO, IN UNIVERSITATE LITE-
RARIA ROSTOCHIENSI PROFESSORE P. O. SCHOLAE
OBSTETRICIAE A SERENISSIMO MAGNO DUCE
ROSTOCHII CONSTITUTAE DIRECTORI, ORDINIS
LUDOVICIANI HASSIACI EQUI ET C.

1789

ILLUSTRISSIMO: EXCELLENTISSIMO

EXCERPTISSIMO
NEC NON

IO. GUILIELMO JOSEPHI

PHYSICAE ET CHIRURGICAE DOCTOR, SENIOR
MEDICINAE ET CHIRURGICAE
SOCIETATIS REGIAE IN HAVNIAE
UNIVERSITATE, ACADEMIAE
SCIENTIARUM ET ARTIUM
HABSBURGICAE IMPERIALIS
ET REGIAE SOCIETATIS
PHYSICAE ET MATH. NATURALIUM
MEMBRUM

V I R O

**ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO**

H E N R I C O S P I T T A

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI MEDICINAE PRO-
FESSORI PUBLICO ORDINARIO, ATQUE INSTI-
TUTI POLICLINICI DIRECTORI.**

VIRG

MASSACHUSETTS EXPERIMENTAL

NEQUE MINUS

HENRI CO STEE

MEMBER OF THE AMERICAN ACADEMY OF SURGEONS
AND OF THE MASSACHUSETTS MEDICAL SOCIETY
ASSOCIATION OF PHYSICIANS, AND OF THE
FACULTY OF THE MASSACHUSETTS COLLEGE OF PHYSICIAN

V I R O

**ILLUSTRISSIMO EXPERIENTISSIMO
DOCTISSIMO**

C A R O L O S T R E M P E L

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, IN
ACADEMIA ROSTOCHIENSI MEDICINAE PRO-
FESSORI PUBLICO ORDINARIO, INSTITUTI
PRIVATI MEDICO - CHIRURGICI DIRECTORI
ATQUE URBIS ROSTOCHIENSIS
PHYSICO.**

V I R O

FAUTORIBUS ET PRAECEPTORIBUS

S U I S

HASCE LITERARUM PRIMITIAS

GRATA MENTE

D. D. D.

AUCTOR.

P R A E F A T I O:

Quum e lege academica, gradus summos in re medica ambienti, dissertatio medici argumenti conscribenda mihi esset, quid pertractarem, diutius dubitavi. Morbus denique, quem vulgo delirium tremens dicunt, non indignus mihi esse visum est, de quo quaedam proferrem; idque eo magis, cum saepius mihi hunc morbum observandi, oblata sit occasio. Naturam autem delirii trementis hic tradere, non solum ultra fines hujus dissertatiunculae, sed plane superfluum esset, cum de his viri doctissimi, clarissimi *Sutton, Lind, Goeden* aliique uberrime scripserint. De symptomatologia, diagnosi, prognosi et curatione tantum disserere mihi proposui. Quodsi vero in hoc libello minus recte quicquam dictum, aut temere aliquid praetermissum sit, velim, aequi lectores meminerint, me juvenem ac intra breve quidem temporis spatium istum conscripsisse.

CAPUT I.

Symptomata et decursus delirii tremensis.

Inter morbos, qui in regionibus nostris temperatis saepius inveniuntur, certe delirium tremens non ultimum obtinet locum. Hoc vero nomine systematis cerebri insignitur morbus, maniae haud absimilis, qui praecipue potiores invadit et ob mira phaenomena, quae morbum antecedunt et comitantur attentionem virorum doctissimorum sibi vindicavit. Quod hujus morbi stadia attinet, varia variis auctoribus ponuntur; mihi quidem commodissimum videtur, quatuor significare: 1. stad. prodromorum, 2. incrementi s. evolutionis, 3. acmes, 4. criseos. Quae vero stadia inter se differunt gradu symptomatum, neque certis aliud ab alio finibus discerni queunt.

1. Stadium prodromorum.

Saepenumero morbus tam subito erumpit, ut nulli observari possint prodromi; aliquando tamen unum aliumve prodromum habet, qui vero saepius non permittit, ut ex se in statum futurum certa concludatur ratione. Si vero adsunt prodromi, hisce se prodere solent: Pronus in hunc morbum est, qui incipit primum non belle se habere, taedio affici, nulla amplius re delectari et nescire quid velit aut optet. De lassitudine deinceps, qualem percipiunt labore fessi, conqueritur;

obambulat quidem, sed oscitans et torpore insolito languens. Accedit tum major tum minor in capite ponderis sensus, interdum dolor, a quo non immunes servantur reliquae corporis partes, oboritur saepius vertigo aut propensio ad animi deliquia. Dormiunt quidem aegri, somnus autem somniis gravibus turbatus est; somno excitati corpus vehementer affectum sentiunt.

Exoriuntur subinde animi morositas, corporis languor, ignaria, tristes et immoderati affectus, tremor artuum inprimis extremitatum superiorum, vacillatio totius corporis, augor et inquietas, dolor in regione scrobiculi cordis, qui praesertim post somnum intrare solet. Vomituritio, quin immo vomitus mucis tenacis, amaro-acidi interdum excitatur atque intenditur, quem non nunquam soda concomitatur; hisce praecipue tempore matutino vexatur.

Haec vero repellere ei jam satis cognitum est remedium: avidus et manu trementi lagenam vino adusto impletamprehendit illaque exhausta, a molestiis, quibus premitur incommodis statim liberatur. Tali modo per totam fere diem bibendo pergit, usque ad crapulam; tunc aeger incidit in somnum, qui artefactus ideoque morbosus est. Inter haec edendi desiderium evanescit, cibosque aduetos fastidiunt aegroti; sitis non potest depelli, lingua sicca et arida, mucoque flavescente oblecta est. Quae vero symptomata, vino adusto sumto, mox inde rejiciuntur. Mentis aberratio vel leviori gradu vel intervallis quietioribus, quae sparsim interdum occurrunt se manifestat, omnia enim vespere et nocte constanter exasperantur; nihil ab aegrotis memoria tenetur, sed

omnia fere iis fugiunt; facies rubra et livida apparet, plerumque pallida aut cuprina invenitur.

Qui quidem status anceps permanet, denique vero haec symptomata, quae in eo ortae ac procreatae sunt ad altiorem gradum educuntur. Ubi enim in juvenibus aut cholericis, sanguineis invenitur morbus, brevius tempus permanet; in hominibus contra, aetate provectoribus, torpidis, phlegmaticis per aliquot menses magis magisque in longum protrahitur, et symptomata magis blanda et mitia sunt. Inveniuntur potatores, qui in hoc statu cum jam satis descriptis symptomatibus totam fere vitam transigunt usque denique paralysis subito et repente vel etiam vomitus cruentus quem sequitur hydrops, potatori vitae ponunt finem. Singuli homines, qui tardam atque phlegmaticam habent naturam, quibus inest rûde et non excultum nervorum systema, qui denique corpore sunt robusto atque corroborato labore graviori ad summam saepenumero hac in vita perveniunt senectutem. Quae vero longe aliter se habent, si homo sellularius, cui saepius ne minimae quidem exercitationes corporis sub coelo sunt, imprimis si tali attributum est sensibile nervorum systema atque viridum ingenium; si talis homo vino adusto deditus est. — Quibus sub conditionibus status diatheseos non in longius producitur tempus, sed tumultu vino adusto per aliquot hebdomades in dies singulos repetita, jam satis superque sufficit, ab illo morbo, qui appellatur delirium tremens, tentari.

2. Stadium incrementi s. evolutionis.

Hoc morbi stadium, nullo tempore interjecto sequi solet, si ad hunc morbum corpus proclive

atque proum est. Nervorum systema magis magisque quassatur et labefactatur et morbi symptomata perspicue ostendunt nervosam naturam. Aegrotus non appetit cibum neque accensus est vini adusti cupiditate; sed saepenumero odio hanc habet potionem, ac sibi vim facere debet bibere vinum adustum, ut aliquandiu immania sua leniat mala. Saepe autem spiritiosa ei vomitum atque permagnum angorem excitant. — Vinum adustum nunc fugere solet aut maximam fere temperantiam in bibendo adhibere. Somnus nequaquam levis et placidus, qui recreare possit corpus, sed levis et interpellatus, dum mirabiles species et vana somniorum phantasmata eum interrumpunt. Magno angore atque sollicitudine et toto corpore praecipue ore prorupto gelido sudore, excutitur somno atque furens surgit e lectulo et e domo currit. Angor eum sine mora stimulat atque pungit. Mendacia oculorum augentur, monstra ferarum, hominum et rerum diversarum ei se commonstrant.

Soni magnarum varietatum ab eo peraudiuntur, ut musica diversissimorum instrumentorum, sonitus campanarum, hominum colloquia, quae saepissime ad ejus statum referri posse videntur, ita ut ipse cum iis colloqui moveatur — prima indicia quae postea sese ostendunt genuini et continui delirii. His somniis expergefactus habet haec omnia fallacia aegrotus in recordatione. Sed eo tempore ipso, quo ea narrat et fallacia esse concedit, iis minime liberatur. In hoc quoque statu morbo affectus habet conscientiam et eloquitur videns has res esse fallaces, imagines phantasiae et falsas visiones.

Sed quamquam ei haec est conscientia, tamen iisdem liberari non potest. Prima absentiae animi vestigia eo cernuntur, quod aegrotus de tempore locoque in errorem deferatur, mox vero et facillime quidem monitu aliorum falsa esse quae cogitat, quae sentit plane intelligat. Loquitur his rerum conditionibus adhuc ita, ut facile possit intelligi et adeo colloquia cum eo possis habere. Ostendit ille tamen impetum quendam animi celeritatemque dicendi; nullo in loco ei est tranquillitas et otium, mox petit lectum, mox ex hoc prosilit irrequietus et maximam cum sollicitudine, circumcursat in aedibus aut e domo fugit, attamen facile ad conscientiam potest reduci et oratione flecti. Tremor et horror omnia fere membra occuparunt et totum fere corpus motum ostendit convulsivum, oculi detorquuntur et rotantur, et declarant satis perspicue illam spasticam naturam. Aegrotum paulisper sedatum et ad conscientiam reductum relinquunt quidem illae nervorum distentiones, sed manus pedesque contremiscunt. Spasticus vero tremor maxillae inferioris cui saepenumero praecipue in stadio acmes dentium crepitus et stridor adjungi solent, semper naturam illius morbi quem dicunt delirium tremens declarat.

Ineunte primo stadio morbo affectus adhuc fuerat hilaris, in somno qui brevis erat temporis et sine ulla quiete saepissime subtilis perturbationibus premebatur, nunc vero omnino eum fugit somnus, carens quiete capit somnum sed frustra; vix clausit oculos et denuo quietem ab eo pellunt imaginationes inanissimae resque fallaces; et memor illarum vanitatum tamen ab iis non liberatus est, sed sequuntur eum vigilantem

et dormientem. Mox sonis iterum diversissimis perturbatur, mox animalibus omnium generum cruciatur, ita fit ut non raro tremens et spasticus tactus investigatioque sub iocice sese ostendant. Et interdum prosilit aegrotus e lecto, manibus pedibusque contremiscens. Corporis habitus summum sollicitudinis et inquietis gradum indicat, sudor in toto fere corpore producitur, facies et frons frigore afficiuntur. Hoc quoque tempore aegrotus facile placari et sedari potest.

Quod quidem stadium secundum hoc modo etiam incertum permanet; nocturno tempore est morbi impetus vehementissimus, interdiu dolores quidem mitigantur et remittunt, attamen perdurant errores animi et tremor: Aegrotus adhuc sibi conscius est et perfacile reduci potest ad conscientiam, quod praecipue significat hujus secundi stadii naturam. Questus porro ab aegrotato audiuntur de fatigatione infirmitateque, de clausis pedibus qui eundo trepidant et vix sine aliorum auxilio ingredi potest. Manus tremunt ita, ut nihil iis tenere queat, lingua quoque et maxilla inferior tremunt, appetitus plane dejectus est, vinum adustum quoque odit aeger, lingua flavescit, facies luteclum habet colorem; dolores in abdomine saepius inveniuntur, alvus est stricta, non raro liquida cum tenesmo. Gravissimum vero est ei somni defectus, qui primum symptoma hoc tempus praecipue indicat. Totum hoc stadium tres usque ad octo dies permanet.

5. Stadium acmes.

Hujus tertii stadii, ni fallor, natura satis plane significatur dum omnino hoc tempore con-

scientia extincta est. Nescit aegrotus quonam loco versetur et quid cum eo agatur atque minimi momenti sunt ei, qui eum circumdant, cum non agnoscat. Delirium altiorem assequitur gradum et nullo tempore interjecto permanet, non amplius in eo natura moriae invenitur, sed furibundum est atque atrox, praecipue tunc quando aegroti contradicitur. Languoris et infirmitatis sensu aegrotus non movetur, ille, qui in stadio secundo tremebat et vires amiserat et qui aliorum sine auxilio neque ingredi neque insistere potuit, nunc prosilit e lecto, pedibus valet, firmiterque incedit. Vestes sibi induere et negotia, quae vulgo sunt imaginata, gerere aut e domo currere in animo habet oculisque unum tantum locum tenet. Pupillae antea patefactae spasmi instar contrahuntur et membrana conjunctiva oculi rubescit. In vultu morbo affecti observamus spasmum et motus musculares vehementissimos involuntarios. Observatur etiam sedulitas et concursatio dum aegrotus mox ad hoc mox ad illud negotium suscipiendum rapitur. Deliria et phantasmata res diversas attingunt, et si aliquae animi affectio e. g. spes destituta aut honor laesus aut irritus amor aut etiam aemulatio caet. intercedunt, ad hasce res delirium praecipue pertinet. Maxima cum indulgentia et lenitate hujusmodi generis aegroti sunt tractandi; nam violentiam et contradictiones non aequo animo recipiunt, sed ira exardescunt saepiusque vires corporis rarissimas ostendunt. Phantasiae imagines nunc quoque inveniuntur, aliam vero habent naturam, dum morbo laborans hoc in stadio omnium minime concedit has res esse fallaces et non veras visiones neque ulla oratio,

neque admonitio, opiniones suas inanissimas rejiciunt ac refutant; medicamina, quae ei praebentur recusat; adhortatione et dolo tantum iis uti potest instigari, quia se sanum esse putat. Non defatigatur et languescitur, sed semper semperque aliquid agit atque molitur et animus suus agitatione et motu morboso vacuus esse nunquam potest. Delirium etiam quod nunc sine ulla interruptione permanet, furibundum est et insanum, hallucinatur aegrotus vehementer et atrox, sine ulla tranquillitate circumcursat et si nonnunquam considet ad quiescendum statim prosilit maxima cum festinatione celeritateque, non solum manibus et pedibus contremiscens, spastico habitu corporis pervagatur et discurrit.

Hoc in stadio incrementi ad altiolem gradum tremor et horror artuum progressus est, spasticus ille habitus secundi stadii in hoc tertio in torpedinis et tetani naturam versus est; nunc etiam inveniuntur illae nervorum distensiones, quae vulgo appellantur Trismus, Opisthotonus caet. et spasmis acerbissimis cruciatur aeger. Respiratio non solum angustiis molestatur, sed etiam maximo cum angore acceleratur. Nulla quoque observatur affectio vasorum systematis, nullae indicationes inflammationis internae, pulsus plerumque non aberrat a norma, magis est tardus quam frequens, non durus, non innormis, si vero nervorum distensiones altissimum assequantur gradum, spasticam accipit naturam. Temperatura etiam non est innormis et sudor profusus indicat angorem et sollicitudinem internam. Praeterea omnium humorum secretiones sunt oppressae et cibi appetendi cupiditas; res petit inusitatissimas. Hoc quidem sta-

dium incertos fines terminosque habet, plerumque vero brevius est quam illud secundum. Dies morbi discriminis non potest satis distingui, sed a medendi ratione pendet.

4. Stadium criseos.

Deliria saeva nunc gradatim remittunt et rarius sese ostendunt, morbo laboranti sunt intervalla in quibus sibi conscius est quae sensim sensimque longius permanent, crebriora sunt et rarissime saevis illis deliriis interrumpi solent. Sed oculorum atrocitas et habitus spasticus vultus per aliquot dies interdum post morbi discrimen perdurant et lingua etiam adhuc celeris est et fere rapida. Gradatim vero aegrotus placatur et sedatur, locum suum non tam saepe mutat, oscitat saepius. Convulsiones et tremor mitigantur, palpebrae involuntarie clauduntur, quae omnia symptomata lassitudinem et defatigationem permagnam sat aperte indicant. Sopor, qui nunc sequitur et qui initio quidem non interrumpi solet, in quem vero aegrotus clara voce hallucinatur et gemitus edit, cujusque respiratio angustiis molestari videtur, est criseos indicatio. Gradatim vero fit ille sopor somnus placidus levisque et qui e norma non discedit; symptomata etiam supra jam satis, ut arbitror, descripta aegrotum dormientem remittunt. Talis somnus ad morbum sanandum est necessarium, nam somnus brevissimus, inquietus et turbidus omnium minime est faustum omen. Tempus hujus *crisimi* somni varium est et praecipue ab illo tempore tertii stadii pendet, plerumque perdurat duodecim usque ad viginti quatuor horas, rarissime octo et quadraginta.

Praeterquam quod morbo laborans se sentit defatigatum et languidum de aliis non queritur rebus. Omnes functiones physicae naturae sunt convenientes; naturalis cibi appetendi cupiditas statim post somnum redit, aegrotus petit cibos illisque sapore jucundo vescitur. Aliae criseos rationes e. g. adauctae se- et excretiones in delirio tremente non inveniuntur. Somnus ille tantum naturalis est criseos prima conditio et gravissima causa. Si delirium tremens non faustum habet exitum, insequitur paralysis, rigor systematis nervorum caet. Exitus lethalis interdum se ostendit sub forma sic dictae apoplexiae nervosae.

C A P U T II.

Diagnosis.

Quamquam res, de qua hic volumus disserere, gravissima est, hic tamen breviores esse poterimus, quod jam ex iis, quae supra monuimus, facile delirii tremensis cognitio hauriri potest. Nihilominus rei illustrandae adjumentum quoddam attulerimus, dum ex iis morbis, quibuscum facile commisceri potest, nonnulla adhibuerimus et symptomata pathognomonica explicaverimus, quae doceant, quomodo differat a simili quovis morbo. Saepissime delirium tremens subito exortum, encephalitidis similitudinem aliquam praebet, praesertim cum in utroque statu artuum tremor, vigiliae deliriaeque adsint. Attamen valde inter se differunt. Deliria enim, quae in nostro morbo, si non complicatus est, magis blanda et jocosa sunt, in encephalite inveniuntur furibunda, illisque non absimilia, quae in febris sic dictis nervosis reperiuntur. In-

somnia constanter aegris infesta est, rarius in encephalitide adesse solet; febris in morbo nostro omnino fere, in cerebri inflammatione nunquam deest. Tremor in delirio tremente solas extremitates superiores et praecipue manus, in encephalitide totum fere corpus occupans invenitur. Qui in delirio tremente adest sudore profuso interdum frigido in dies crescente caret encephalitis, et cutis magis calida aridaque est. Summatim differentia delirium tremens inter et encephalitidem in decursu morbi satis commode cognoscitur; nunquam enim haec septem dierum spatium excedit, atque semper fere, si sanatus homo, crisis solvitur, e. g. urina critica, sudore caet. aut abit in extravasationem, paralytin lethalem. Delirium tremens hisce non gaudet crisis, somnus vero quietus restituit valetudinem, quo citissime sanatus aeger.

C A P U T III.

Prognosis.

Morbus in genere periculi plenus censendus. Pessimum momentum ad prognosin statuendam in eo positum est, quod isti homines a vino adusto non abstineant, sed saepius eo magis utantur; quare novae morbi tentationes, et praesagium eo pejus, quo magis recurrunt. Praecipue autem considerandum est, quatenam sit aegroti constitutio, an debilis aut firma, quatenam aetas, num denique adsint complicationes, caet. In primo et secundo morbi stadio prognosis melior est statuenda, quam in stadio acmes. Restitutionem in sanitatem praesagire licet in juvenibus, atque in potatoribus, non exhaustis, ubi morbus non est inveteratus; si porro post brevius temporis spatium intrat somnus, aut

vi naturae; aut medicamentorum, si somnus quietus est, per aliquot horas durans, si denique aeger somno recreatus expergiscitur caet. Mali ominis autem sunt: Haemorrhagiae, vertigo et convulsiones epilepticae vel in initio vel in decursu morbi; tremor porro tam vehemens artuum ut aegrotus nec incedere nec bibere possit, lingua arida notabiliter oblecta, sudor profusus, gelidus atque madidus, pulsus parvus, frequentissimus, filiformis, subsultus tendinum. Quae si symptomata, supra jam descripta desunt mox insequitur somnus placidus et levis, qui e norma non discedit; hoc bonum faustumque omen est.

C A P U T IV.

C u r a.

1. Antiphlogistica. *Albers* (l. c. p. 20.) eos, qui delirio tremente sunt affecti primo morbi initio venaesectionibus vult tractare et dicit: Quamquam *Pearson* (observations on brainfever Edinburgh medical and surgical journal 1815. Vol. IX. pag. 229 — 330.) sententiam ponit, quod, si aegrotos venaesectionibus, purgantiis et inclusione tractentur, periculum mori, quoque in iis aegrotis, qui corpore valido et robusto sint, se habeat ut viginti ad unum; mihi quidem alia est sententia, nam inclusione excepta optimo cum eventu permultos delirio tremente laborantes caeteris duobus medicamentis tractavi, quod etiam alii medici experientissimi cognoverunt. *Barkhausen* quoque venaesectionis mentionem movet, arbitratur vero, eam esse maxima cum cautione adhibendam, propterea quod haec sanandi ratio vires valde debilitet, quam virium debilitationem praeterquam jam esse timendam et eventus nequaquam faustos ab illa fere

omnino pendere. Si venaesectionis emolumentum non certissime posset praestitui haec neutiquam esse adhibendam quia commodum, quod proveniret, incommodo maxime praeponderaret. Commodum et non cum exigua securitate venaesectionem, ut ille putat, admoveri posse ad aegrotum, si quidem ille robustus, juvenilis succique plenus, et si morbus adhuc in stadio prodromorum est, praecipue cum congestiones sanguinis adsunt, et pulsus plenus, vertigo, susurrus aurium, anxietas maxima, sudandi dispositio, coctio ciborum oppressa levis-
simus membrorum tremor et somni defectus observantur. Si vero morbus ad altissimum proventus est gradum, esse venaesectiones temeraria medicamenta, nisi complicatio cum phrenitide adesset,

Goeden, qui contendit hunc morbum esse puram nervorum affectionem et sine ulla inflammatione, adhibet praeter Opium frigus, et quidem superfusiones frigiditas, eo vero consilio ut totum nervorum systema conquassetur.

Quae vero hac de re opiniones prolatae sint, equidem puto, venaesectionem esse periculosam; permulti enim auctores ipsi concedunt, plures hoc morbo laborantes praecipue post secundam sanguinis missionem mortuos esse (*Albers*), et in nonnullis hunc morbum hac sanandi ratione potissimum ortum esse (*Barkhausen*).

2. Purgantia praecipue salia permagnam vim habere videntur, si morbus adhuc in stadio prodromorum est et conjunctus cum magna inclinatione ad obstructions et lingua obtecta invenitur. In morbo exculto saepissime magis nocent quam prosunt propter eorum naturam valde debilitantem.

3. *Barkhausen* tunc praecipue laudat acida, ubi morbus non plane excultus est et magna inclinatio sudandi, vertigo, susurrus aurium caet. ad-

sunt. Antequam adhibeantur saepius, ut dicunt, necesse est ut dentur purgantia et sanguinis missiones instituantur.

4. Inter nauseantia primum obtinet locum tartarus emeticus. *Barkhausen* (l. c. p. 95 — 99.) laudat eum praecipue in sthenica delirii trementis natura et nullum aliud medicamentum huic comparari posse affirmat, ejusque vim appellandam esse specificam, triplicem vim si doses sunt convenientes, derivantem, sedantem et indirecte antiphlogisticam ostendere. Cum vero morbus asthenicam habeat naturam, hac una ex causa contraindicatum esse.

5. Praeter alia vulgo laudata et commode adhibita remedia e. c. Camphoram, Ammonium volatile, Moschum, Arnicam, Valerianam, Serpentarium caet. Opium celebratur et pro tuto habetur medicamento: magna vero necesse est providentia in opii usu. Quando et quomodo adhibeatur hoc remedium e *Barkhausen*, *Goeden* aliorumque scriptorum operibus clare perspicitur.

6. Imperatoria. *Meisterwur.* (Imp. ostruthium.)
V. I. Quod medicamentum ante plures annos, illustriss. Prof. Dr. *Spitta*, praeceptor meus summo opere venerandus in instituto suo policlinico optimo cum eventu in delirio tremente adhibuit. Quae autem hac de re observavit vir experientissimus mox nobiscum communicabit.

Librorum in conscribenda commentatione adhibitorum catalogus.

Gerh. van Swieten Comment. in Boerhav. aphor. cap. de phrenitide.

Max. Stoll Ratio medend. Pars III. pag. 185.

Ph. S. Horn Abhandlung von der Trunksucht. Stralsund, Greifswald und Leipzig 1747.

Jos. Franck Praxeos medic. univers. praecepta. Pars II. Vol. I. Sect. I. Cap. 3.

Zh. Trotter die Trunkenheit und deren Einfluß auf den menschlichen Körper &c. übers. von Hoffbauer. Lemgo 1821.

Zh. Sutton Abhandl. über delirium tremens; a. d. Engl. von Heineken mit einer Vorrede von Albers. Bremen 1820.

v. Brühl = Cramer über Trunksucht u. eine rationelle Heilmethode derselben. Berlin 1819.

Journal d. pract. Heilkunde von Hufeland 1822. Nov. u. Decbr.

J. G. Lind de delirio tremente sic dicto. Hafniae 1822.

Günther Delirium tremens in Verbindung mit Scharlach. Rdtln 1820.

von Köhring Dissertat. de delirio trem. Berolini 1826.

Dr. Georg Barkhausen Betrachtungen über d. Säuferswahninn od. das delirium tremens. Bremen 1828.

Dr. H. A. Göden von dem delirium tremens. Berlin 1826.

7-

le

le

I.

en

r.

yl.

8.

ffe

o.


2.


h.

6.

er=

in





et dormientem. Mox sonis iterum diversissimis perturbatur, mox animalibus omnium generum cruciatur, ita fit ut non raro tremens et spasticus tactus investigatioque sub lodice sese ostendant. Et interdum prosilit aegrotus e lecto, manibus pedibusque contremiscens. Corporis habitus summum sollicitudinis et inquietis gradum indicat, sudor in toto fere corpore producitur, facies et frons frigore afficiuntur. Hoc quoque tempore aegrotus facile placari et sedari potest.

Quod quidem stadium secundum hoc modo etiam incertum permanet; nocturno tempore est morbi impetus vehementissimus, interdiu dolores quidem mitigantur et remittunt, attamen perdurant errores animi et tremor: Aegrotus adhuc sibi conscius est et perfacile reduci potest ad conscientiam, quod praecipue significat hujus secundi stadii naturam. Questus porro ab aegroto audiuntur de fatigatione infirmitateque, de clausis pedibus qui eundo trepidant et vix sine aliorum auxilio ingredi potest. Manus tremunt ita, ut nihil iis tenere queat, lingua quoque et maxilla inferior tremunt, appetitus plane dejectus est, vinum adustum quoque odit aeger, lingua flavescit, facies luteclum habet colorem; dolores in abdomine saepius inveniuntur, alvus est stricta, non raro liquida cum tenesmo. Gravissimum vero est ei somni defectus, qui primum symptoma hoc tempus praecipue indicat. Totum hoc stadium tres usque ad octo dies permanet.

3. Stadium acmes.

Hujus tertii stadii, ni fallor, natura satis plane significatur dum omnino hoc tempore con-

